PROFESSIO CATHOLICA

M. SEBASTIANI FLASCHII MANSFELDENSIS,

non vulgaris eruditionis & autho-
ritatis viri,
vbi Lutheranā Hæreſin, in qua & natus & à pueris
inſtitutus fuerat, liberè abiurat, ſimulq; ab-
iurationis ſuæ cauſas viginti duas ad-
ducens, fucatam illius ſectæ
naturam, & dolos, quibus miſeros
deludit mortales, breuiter,
& accuratè depingit.



B R I X I N A E,
Donatus Fetius excudebat.
M.D.LXXVIII.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D. D. JO. THOMÆ EPISCOPO BRIXINENSI, ET SACRI IMPERII Principi ampliſsimo. Dño ſuo cle.

M. Sebaſtianus Flaſch Mansfeldenſis
Humillimus ſeruus.

ACCIpe catholici Princeps aſsertor honoris,
Rhetorum ſplendens gentis in orbe iubar.
Lærnæam ſic varijs cernes ſerpentibus Hydram,
Quam prius Hæreticum me coluiſse pudet.
Nunc hoſtis tandem Hæreſeos, pietatis auitæ
Defenſor, veneror relligionè patres.

AD LECTOREM.

VT pateat multis, vana commenta Lutheri
Quàm varijs ſcateant, lector amice dolis.
Donatus multa præſtans Chalcographus arte
Pluribus exemplis hæc tibi ſcripta dedit.

RATIONES M. SEBASTIANI *FLASCHII MANSFELDENSIS,* cur relicto Lutheraniſmo ad Catholicã Romanam Eccleſiam ſe receperit.

SI qui ſunt, qui cauſam ſcire volũt, quare ego M. Sebaſtianus Flaſch Manſfeldenſis pertæſus Lutheraniſmi, in quo natus & educatus ſum, & quẽ publice, & priuatim, tum in ſcholis, tum in templis propagare, & confirmare ſtudui, nunc demũ ſenex, & affecta ꝑpemodũ ætate ad Eccleſiæ Catholicæ gremium me contulerim: non grauatim legere dignẽtur ſequentes rationes, quas obiter, & raptim collegi, nullã aliam ob cauſã, quã vt me apud quoſdã maleuolos ſiniſtra ſuſpicione ãbitionis, cupiditatis, uel alicuius emolumẽti corporalis, liberarẽ. Quibus rationibus vtinam acquieſcerent, & ad conuerſionem inuitarentur illi quoq; qui mecũ ſub eodem iugo captiuitatis Babylonicæ multis iam annis miſeram ſeruitutem ſeruierunt.

Prima. *Quòd ſatis ſuperq; & ꝗdem non ſine admiratione deprehẽderim, ex mutua vtriuſq; collatione partis, lectione priuata, & Catholicorũ publicis cõcionibus, catholicos longè aliter ſentire, & docere, quã à Lutheranis arguuntur, quodq; doctrinam Eccleſiæ Catholicę apertis mendatijs deformare, & in odiũ ac con-*

temptũ adducere de induſtria, & q̃dem contra conſcientiam ſtudeant, & laborent. Sic enim habet Auguſtana Confeſſio, Catholicos docere, nõ cõcedendũ eſſe, ꝙ gratis ꝓpter Chriſtũ remiſſio peccatorũ detur. Item Apologia Auguſtanæ Confeſſionis aſſerit, Catholicos ubiq; excluſo Chriſto docere, mereri iuſtificationem per opera legis. Rurſus, Catholicos Mariã Chriſto æquare, & idgenus alia infinita, quę longũ foret hic ordine enumerare. Et profectò Lutherus ipſe, eo loco haberi vult, vt ſi vel ſemel mẽtiri manifeſtè deprehẽdatur, tanq̃ infamis nebulo habeatur, qui nihil fidei mereatur in vllo ſcripto. Quare nemo mihi vitio vertere poteſt, quòd ſtudio & amore veritatis, repudiato Lutheri Euangelio & ſcriptis, in q̃bus innumerabilia penè deprehẽdas mẽdatia, me ad Chriſti Euangelium, & Catholicæ Eccleſiæ gremium receperim.

Vide Dietenberg. in cõfuta. Luthe. de uotis & confeſſ. ubi conuincit & arguit eũ 874. mendaciorũ. In lib. cont. Emſerum.

Secunda. Quòd deinde ex libris Lutheri manifeſtè cognouerim, ipſum inuidia potius, quàm pio zelo ad ſcribendum incitatum: & ad euertendam Catholicã religionem ſuas tetras & nouas opiniones ꝓpagare & ſtabilire voluiſſe.

De captiuita. Baby. & lib. cont. Papatũ.

Tertia. Quòd etiã in eiuſdẽ ſcriptis & Tomis tantam inuenerim verborum turpitudinem, & ſcurrilem obſcœnitatem, vt etiam lenones ipſos, & omnem ſcortorum impudentiam facile vincat, q̃bus cum plurimas paginas conſpurcatas habeat, non difficile eſſet exempla afferre, niſi pias & religioſas aures offendere vererer.

Lib. contra Pap. & Ioã. Farcimen. Item in ſerm. conuiualib.

Quarta. *Quòd inſuper certo cõpererim, Lutheranos non modò integros libros (alioquin ab Eccleſia approbatos) tanq̃ apocrypha ſcripta ex ſacræ ſcripturæ Catalogo reijcere: ſed etiã libros, quos retinẽt, paſſim in infinitis locis de induſtria corrupiſſe ac deprauaſſe ad nouã ſuam vanam doctrinã melius confirmandã. Quod ſi adulterare monetã, vel Regias literas capitale cẽſetur, quanto magis ſcelus capitale exiſtimandũ eſt, ſcripta prophetica & Apoſtolica mutilare, peruertere, & falſa interpretatione contaminare? Quemadmodũ Lutherus plerunq; facere conſueuit, qui conciliandæ ſibi maioris authoritatis gratia, omnes alios, quantumuis pios interpretes ab ipſo diſcrepantes ex alto deſpicit & contẽnit, nec quicq̃ valere ſinit, quàm quod, Ipſe dixit.*

In præfatio. Biblia Luth. Vide Emſer. Vice. Dietẽ. Staphil. Lindanum.

Quinta. *Quòd item perſpexerim, eos paſſim in interpretatione ſcripturæ ludere & cõminiſci, addere & demere, quicq̃d libet, modò fuco aliquo velari poſſit ad ſimplicibus imponendũ. Sed de ſuis corruptelis cõuicti, ſic à Magiſtro ſuo Luthero reſpõdere docentur, Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere: & dicit, Papiſtã & Aſinum eſſe rem vnam: Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas: Nolumus enim Papiſtarum ſcholares aut diſcipuli eſſe, ſed magiſtri ac iudices. Quis autem in hac cauſa nõ mallet audire & ſequi verſionẽ & interpretationem ab Eccleſia approbatam? vel item vocem Chriſti, & Apoſtolorũ, quàm periuri & perfidi Monachi impudentem temeritatem?*

Ad quendam amicũ Tom. 4 germ. Vitenber. folio 473

Sexta. *Quòd ſimul eò peruenerim in inq̄ſitione ve-
ritatis, vt quę antea cõſentanea eſſe ſcripturæ & patri-
bus credidi, ea nunc cum ipſis ex Diametro pugnare,
& longiſſimè diſcrepare notauerim.*

Septima. *Quòd poſtea etiã deprehẽderim, eos non
ſolum ſacram ſcripturam, ſed etiam ſanctorum patrum
teſtimonia & ſcripta partim adulterare, partim ad ſta-
bilienda ꝓpria cõmenta vanè & ſiniſtrè interpretari,
& detorquere. Quodq; per Dei grãm nũc tãdem intel-
lexerim, quàm mirabili & artificioſa fallacia hominũ
mentes perſtringant in ſcripturis ſacris mirificè extol-
lendis, & citãdis patribus & Cõcilijs, Cum tamẽ nõ
alio loco reuera Sanctos patres & Concilia habeãt, quã
quo loco Alcoranum Mahometi, & Aeſopi fabulas, &
pluris in veritate axiomata ſua faciant, quã ipſam ſcri
pturam ſacram. Nam ꝙ ad patres attinet, ſi authoritate
eorum vrgeantur, vel impudenter reijciunt, vel ſi de-
prauare vel alio loco torquere non poſſunt, ſe eos reci-
pere aſſerũt, ſed quatenus cũ ſcriptura cõſentiũt. Quaſi
non eatenus etiã Alcoranũ, & Aeſopi fabulas recipiãt.
Qm̃o vero ad ſcripturam eos examinent, inde notum
eſt, quod non ſcripturam ipſam, ſed ſua dogmata, ſiue
ꝓpria axiomata ſcripturæ regulam faciant. Nam ſi ꝙ
Concilium dicat eſſe purgatorium, aut Miſſam eſſe ſacri
ficiũ, ſtatim reijcitur, non q̃a hoc vlla ſcriptura neget,
ſed quia eorum dogmatibus aduerſatur. Ita Epiſtola S.
Iacobi ad dogma Lutheri, Sola fides iuſtificat, eſt exa-
minata*

minata; & q̃a dogma Lutheri euertebat, p̄ ſtraminea eſt reiecta. Sic ſecundus Machabeorū ad alterū dogma examinatus eſt, Non offerendum vel ſacrificādum pro mortuis: Et q̃a non quadrabat, in apocryphos reiectus eſt. Quis igitur credat, eos ſummam authoritatem (vt videri volunt) ſcripturę tribuere, cum non ſolum Patres & Concilia, ſed etiam ipſam Scripturam ad regulā ſuorū axiomatum examinēt, explodant & reijciant?

Octaua. *Quòd ex ſcriptis S. Patrum didicerim, doctrinā Lutheri nihil ferè aliud eſſe, quàm quoddam chaos, & veluti farraginem quandā ex obſoletis hęreſibus, & erroribus antiquorū hæreticorum collectam, quos iamdudum Concilia legitima & S. Patres viuo DEI verbo magno conſenſu reiecerunt, refutarunt, anathematizarunt, & ex Eccleſia profligarunt.*

Vide Sanderum lib. 8 de Monarchia uiſibili capi. 57. Lindanus de Tabulis.

Nona. *Quòd etiam animaduerterim Lutherum in multis locis à ſeipſo longiſſimè diſſentire, & crebro pugnātia dicere, atq; adeò ſemetipſum p̄prio iudicio damnare & mendacem reddere.*

Vide Fabium de antilogiis Lutheri. Itē Septicipitem Cochlei. Contra Regē Angliæ aduerſus falſo dictū ſtatum Eccleſiaſt.

Decima. *Quòd cum ipſe Lutherus iactet, ſe certiſſimum eſſe, quòd doctrina ſua non ſit ſua, ſed Chriſti, omnibusq; deneget ſalutem, quicunq; eam non recipiunt, tamen obſeruauerim, eum ſubinde de doctrina ſua dubitare, imò aſſerere, ſe credere non poſſe, vera eſſe, quæ tradidit & ſcripſit in libris ſuis. Nec mirum, cum alibi fateatur, ſe ne Chriſto quidē credere poſſe, & eius verbis firmiter cōfidere, quippe qui affirmet ſe plus fiducię*

In. i. ad Timoth. cap. 2. Tom. i. Ger. Vitēber. & ſuper pſalm. 45. Tom. 3.

in ſerm. conuiuali. titulo de Prophetis & patriarch. item titul. de operib. Dei, & titulo de Chriſto, et de ſola fide.

collocare in ſua Catharina & Philippo, quã in Chriſto.

Vndecima. *Quòd ad hæc ſolidis argumentis conuictus ſim, vt affirmare audeam & debeam, gregem Lutheranorum eſſe populum ſine vera DEI Eccleſia, ſine Sacrificio, Abſolutione, Sacramẽto Altaris, veris Sacerdotibus & miniſtris. Ex quorum numero aliquot annis (proh dolor) me vnum quoq; fuiſſe fateor, & ex animo doleo, qui neq; ritè, neq; legitimè, ſeu modo Eccleſiaſtico vocatus, miniſterium verbi & Sacramẽtorum apud miſeram plebem adminiſtraui.*

Duodecima. *Nec parum inuitatus ſum & hac ratione, ꝙ Lutherani conſcij ſibi de defectu veritatis & errore, ſententiã quãdoq; ſuam munire contendunt Patrum authoritate & teſtimonijs, quibus vt videantur conſentanea & veriſimilia tradere, multa & varia ipſorũ dicta inſidioſè & perperã pro ſe citãt, ſuasq; hęreſes illis affingũt: quin & aperte de illis mentiri nõ verẽtur. Atq; vt exempli gratia vnum atq; alterum afferã, Apologia Auguſtana affingit S. Auguſtino, quòd ſcripſerit, peccatum in Baptiſmo remitti, non vt nõ ſit, ſed non imputetur: ꝙ nusq̃ ſcripſit S. Auguſtinus, ſed contrarium aſſeruit quam plurimis in locis. Similiter Proteſtantes aduerſus Concilium Tridentinũ año 62. aſſerunt Sanctum Ambroſium negare per iuſtos nos ire poſſe ad Deum, cum tamen dicat, per iſtos (intelligens Paganorũ Deos) non poſſe iri ad Deum: ſic vocẽ, Iſtos, de induſtria & fraudulenter corrũpentes & mutantes in Iuſtos.*

in Iuſtos. Sic etiã eadem Apologia Auguſtana apertè de S. Patribus mentiri non erubeſcit, affirmans, veteres ſcriptores ante Gregorium nullam feciſſe Sanctorum inuocationis mentionẽ, Cum tamen Diuus Athanaſius, Gregorius Nyſſenus, Ephrem, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Origenes, & multi alij, qui ante Gregoriũ extiterunt, non tantum eius mentionem fecerint, ſed etiam inuocationem & verbo & exemplo docuerint. Ne quis igitur talibus eorum impoſturis decipiatur, Patres ipſos inſpiciat, & locorũ ab ipſis citatorum verba & circumſtãtias ſedulò expendat: facile enim fallitur, qui temerè credit talibus impoſtoribus.

Decimatertia. *Me item ingenuè comperiſſe fateor, concionatores Lutheranos in multis articulis Turcis & Mahometiſtis magis patrocinari, quam Chriſtianis, & ipſorum mores & ritus propemodum per Cacozelian imitari & repræſentare.*

Vide Elẽchũ hæreti. authore Gabriele Prateolo.

Decimaquarta. *Quòd ſuper hæc oĩa longa experientia notauerim, quales fructus ipſorũ fides & religio produxerit, tales videlicet, vt quiſq; quod libet, ſibi licere putet. Quæ quidem libertas carnis (quam tamen ipſi Chrianã appellant) hoc efficit, vt in reprobũ ſenſum tradantur, & vt inter eos omnis generis ſcelera vbiq; locorum ſumma licentia & impunitate graſſentur.*

Vide tabulã Staphili de cõcordia fratrum Euangelicorum. Concio 3 habita 1546 tomo 4. folio 597. pagi. 2

Decmaquinta. *Quòd intellexerim quoq; omnes penè ſectas, quotquot hac noſtra ætate graſſantur, non aliunde, niſi ex eiuſdẽ Lutheri libris & doctrina, tanq̃*

ex ſcaturigine promanaſſe & propagatas eſſe.

Decima ſexta. *Quòd etiam inuenerim in eius operibus multas acerbiſſimas criminationes & conuitia, quibus omnes ſuos aduerſarios pſcindere & inſectari, ſibiq; ſoli omnem laudem vendicare, & tribuere ſolet. Et non ſolũ non parcit prælatis & Theologis: ſed nec quidem Romano Pontifici, Epiſcopis, Academijs, atq; adeo ipſi Cæſareæ Maieſtati, Regibus, Principibus, & alijs Imperij ordinibus, imo etiam beatis ipſis cum Chro regnantibus, vt ſeſe verum eius præcurſorem eſſe demonſtret, de quo nouiſſimis tẽporibus vẽturo iam olim Daniel Propheta, & S. Ioannes in Apocalypſi vaticinati ſunt, Quod futurus eſſet rex impudens facie, qui cor ſuum magnificabit, cuiq; dabitur os loquens magna & blaſphemias contra Deum, tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.*

Decima ſeptima. *Quòd ex ipſiusmet ſcriptis & Tomis perſpexerim, non ſolum Eccleſiaſticas perſonas, videlicet Pontificem & Epiſcopos, ac Academias celeberrimas, ſed etiã Imperij ſtatus & ordines Lutheranã religionem & fidem, vt ſummam impietatẽ & hæreſin manifeſtam in ipſo exortu damnaſſe & proſcripſiße.*

Decima octaua. *Nec parum & illud me mouiſſe fateor, quod Lutherani concionatores vſq; adeò oculati ſint in peccata, & leuiſſimos næuos Catolicorũ, vt eos non ſolum diligenter obſeruare, & notare conſueuerint, Sed etiam eoſdem pro concione vſq; adeo exaggerare,*

vt ex

vt ex muſca Elephantem facientes, vniuerſum illorum miniſterium, & doctrinam ſuſpectam & odioſam reddant: Cum tamē è diuerſò, ſi ex vita & moribus fides & religio iudicanda eſt, nuſq̄ minus, quàm apud illos veram doctrinā ſonare iudicādū ſit, quippe qui multis modis Catholicorum flagitia in tam breui ſui noui Euangelij curſu ſuperaſſe videātur. Nam vt de ſola libidine dicam, cum ipſi Concionatores vxores ducāt, adeo illis non contenti ſunt, vt ad explendam inſatiabilem ſuam libidinem frequenter iuxta Lutheri doctrinā etiam ancillis abuti, & (quod magis fœdum eſt) aliorum vxoribus vim afferre, commutationemq́; vxorum inter ſe mutuo inſtituere non erubeſcant. Quod tam apertè de ipſis affirmare & ſcribere non auderē, niſi tamdiu inter eos verſatus id certò & crebrò cum multis alijs compe riſſem. T*aceo quid tentent frequenter inter audiendū confeſſiones, quorſum tam ſæpe ægritudines ſimulent, infirmos viſitent, conuiuia quędā inſtituant. Hoc vnicum libet referre, de quodā non infimæ ſortis concionatore, qui mecum paciſci contendebat de commutandis inter nos vxoribus: & ad id faciendū quodāmodo me vi cogere volebat, cū videret me nulla ratione in tantum ſcelus velle acquieſcere. Plura id genus præclara facinora pudor prohibet longius commemorare.*

Decima nona. *Non etiam ſine falſitatis opinione paucis ab hinc annis videre potui, Lutheranorū religionē ſenſim collabi & inteſtinis diſſenſionibus in per-*

niciem

niciē & interitū adduci: concionatores & Academiarū profeſſores in mutua odia religionis cauſa exardeſcere, adeò vt nec ſuperintendens ſuperintendentem, nec miniſter miniſtrum, nec ædituum ferat æditūus: dominari palàm fædas partiū criminationes, aperta cōuitia, & execranda anathematum fulmina: in conſtituenda religione cuiq; quod libet, licere: nullum eſſe diſputationis ordinem, nullam dirimendarum controuerſiarū certam & conſtantem regulā, nullum veritatis & fidei tutum aſylum. Qua ex re grauiſſimæ exiſtāt neceſſe eſt & deplorandæ calamitates, & extremæ afflictarum conſcientiarum deſperationes.

Vigeſima. *Hic etiam de barbarica illa ignorantia dicendū eſt, quæ paulatim inter eoſdem Lutheranos ita creuit, vt vix maius incremētum ſumere poſſe videatur. Poſt q̄ enim anteſignani illorū, qui à Catholicis inſtituti, doctrina maiori præſtabāt, mortui ſunt, nullus penè amplius reſtat, de verè ſolidèq; doctis viris, qui cauſam religionis Lutheranæ paulo accuratius agere, vel propugnare poſſit. Nam ſi qui ſunt, qui ſibi aliquam eruditionem tribuunt, illi tamen ridiculè ineptiunt, & rhetoricantur in ſuis ſcriptis, & contionibus, vt vix operæ pretiū ſit, eas legere vel audire. Nec tamē aliud quicq̄ tractant, quàm vetera ſuorum præceptorū mendacia, quæ iam pridē à tot ſcriptoribus Catholicis ſunt confutata. Vnde fit vt in tanta penuria literatorū, ad adminiſtrationem Verbi DEI & Sacramentorum ſeſe*

ingerāt

ingerant leuiſſimi homines, perfidi monachi, Sartores, Sutores, Lictores, Carnifices, & ſimiles cerdones, vt dignũ ſit patella operculum, & ſimiles habeant labra lactucas: licet nihilominus iactitent, & glorientur, ſe non quoſuis, ſed tantum perſpectę probitatis & eruditionis viros ad tractandum miniſterium admittere. Contra vero maximus eſt virorum Catholicorum numerus, qui excellunt omni doctrinarum genere ſicut eorum libri, quos ſingulis annis edunt, teſtantur.

Vigeſima prima. *Quòd etiã meminerim, quãplurimos ad tantam deſperationem venire, vt in tanta fidei ſuæ certitudine & fiducia, vitam ſibi ipſis non dubitẽt vel laqueo, vel alio ſuplicij genere extorquere: cuius rei apud eos frequentiſſima paſſim extant exẽpla, quæ qdem vanitatẽ doctrinę Lutheranæ in erigendis perterrefactis conſcientijs (vt ipſi loquuntur) non obſcurè oſtendunt. Sed talium deſperationum nulla iam me tenet admiratio, quandoquidem & extra Eccleſiã ſunt, in qua ſola vera conſolatio inuenitur, & veris miniſtris Sacramẽtorũ, veraq; abſolutione peccatorum deſtituuntur. Quare mihi non fit veriſimile, aliquem ex Catholicis ſanæ mentis, vlla ratione flecti, aut perſuaderi in poſterum poſſe, vt à fide ſua deficiat ad Lutheraniſmi impitatem, in quo vix aliud pręter meram confuſionem omnium rerum, & conſcientiarum trepidationem, vel puer ſeptimũ annũ egreſſus, animaduertere & agnoſcere queat. Quæ quidem res etiam ipſos*

Luthera-

Lutheranos Cōcionatores miris modis angit & confundit, ita vt ferè nihil minus verum eſſe ſtatuant, quàm ſuam religionem & doctrinam. Ideoq; ſimul eam paulatim magis magisq; ipſimet faſtidire incipiunt, vt qui nouerint, eam vere paradoxon eſſe conflatum ex longe diuerſis, & non cohęrētibus membris, ſine verbo Dei, & contra doctrinā Chriſti, Prophetarū, & Apoſtolorū; eiusq; promulgationem iuſto Dei iudicio permiſſam eſſe, ꝑpter ſcelera & ingratitudinē mundi: nec tamen idem dogma perpetuo mā ſurū, ſed breui funditus interiturū eſſe non ſolum ſuſpicantur, ſed etiā quodammodo certo ſciūt, & paulo poſt, perinde vt illorū maiores & anteceſſores hæretici, re ipſa experientur. Maxima etiam pars præſertim vociferatorū & ſcriptorum, qui inter eos ſunt, iam pridem religionem propriam vnà cum ipſa Auguſtana Confeſſione negligere, & deſerere pergunt, cum videāt ſe eā amplius defendere & tueri non poſſe: ſicut apparet ex illis abſurdis puerilibus, & ridiculis ſcriptis, quibus ad libros Catholicorum tam ineptè & frigidè reſpōdent. Vnde facile eſt conijcere, nihil præter fæces & rudera amplius apud ipſos reſtare, & omnia ruinam vndiq; minari.

Vigeſima ſecunda. *Quòd poſtremo re tota bene conſiderata animaduerterim, me in Lutheranorū cœtu permanere, & eorum doctrinæ acquieſcere non poſſe, niſi velim per ſummā impietatem ſimul dānare omnes pios maiores noſtros, & tot ſanctos Eccleſiæ Catholicæ doctores*

doctores, qui ante Lutherum extiterunt. Certo enim didici eos cum Romana Eccleſia doctrina & fide communicaſſe, & Romanū Pontificem pro Chriſti Vicario & S. Petri in Paſtorali munere ſucceſſore agnouiſſe. Certum enim habeo (vt de alijs articulis taceam) eos Sanctorum inuocationem, Reliquiarū venerationem, & Miſſæ ſacrificium approbaſſe. Certum eſt deniq;, eos in ea doctrina tuenda, & in Romanæ Eccleſiæ communione conſtãtes vſq; ad extremū vitę ſpiritū permanſiſſe. Lutherani autem Romanã Eccleſiã pro meretrice Babylonica, Romanū Pontificem pro Antichriſto habendum contendunt: Sanctorū inuocationem, & Reliquiarum venerationem, ac Miſſæ ſacrificiū, tanq̃ ſummam Idolatriã execrantur. Vel itaq; profiteri oportet, Oẽs maiores noſtros, & Eccleſiæ doctores, ac paſtores hęreticos fuiſſe, atq; ad extremum damnatos eſſe, neq; quenq̃ vitam æternam conſequuturū, niſi qui partes Lutheri ſequutus fuerit: Vel ſi maiores noſtri ſalui facti ſunt, conſequens eſt Lutheranos ſaluos fieri, niſi reſipiſcant, non poſſe. Nam ſine fide, eademq; vera, vna, & Catholica, impoſſibile eſt placere Deo; & conſenſu omnium, extra Eccleſiam non eſt ſalus. Eccleſiam intellige, quę vera eſt, quę vna, quæ à Chriſto ita ſupra petram ædificata eſt, vt portę Inferi non ſint aduerſus eam præualituræ, quę perpetuò eſt duratura. Quod qm̃o in Eccleſiã Lutheranorū cõueniat, non video, cum ea paucis ab hinc annis primū ſit exorta, & breui, ſicut

non ob-

non obſcurè præ ſe fert, ſit interitura. Quomodo item fides Lutherana vera eſſe poteſt, quę neq; vna eſt in ſe, ſed in tot ſectas diſſecta, neq; vna cum maiorũ noſtrorum & S. Patrum fide? Neq, enim in toto orbe terrarũ demõſtrare poſſunt, vel locum aliquem, vbi eorũ fides ante Lutherũ prędicata fuerit: aut ſcriptorem vnicum vel authorem, qui idem per omnia cum Luthero, vel Cõfeſſione Auguſtana ſenſerit & ſcripſerit: licet fatear, in hoc articulo cum illo heretico, in iſto cum alio, atq; iterum alio conuenire, vt ſupra dixi.

Quare mihi nulla ratione ſalutem meam negligendã eſſe duxi, ſed ad antiquę, verę Eccleſię caſtra mihi eſſe conuolandũ, in qua tot ſancti, & pręclari maiores nr̃i ſanctè & piè vſq; in finem militarunt, vbi ſunt veri paſtores, vbi verum Dei verbum annũciatur, vera Sacramenta adminiſtrãtur, verus Dei cultus viget, & vera ſalus expectanda eſt. Ad verã itaq; ſalutem, ſalutaremq; veritatem ſectãdam omnes eodem errore, quo ego fui, faſcinatos inuito: Deumq; precor, qui dixit, De tenebris lumen ſplendeſcere, vt veritatis ſuæ luce, eorũ mentes illuſtrare, & ad ſalutis ſuę portũ dirigere & perducere ſua benignitate dignetur, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor, & ſeruemus in vna ſpe vocationis noſtræ vnitatem Spiritus in vinculo pacis.

AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE